

NUMMUS TRIUMPHALIS  
GUSTAVI SUETIÆ REGIS: CU-  
SUS SUPERATO CHRISTIERNO DANIÆ  
Rege, inque vincula coniecto. Anno  
Christi 1532.



Si ita: sunt sortes nostræ in manu Domini: extollit hunc: illum deprimat: in bellis inprimis exerit fortitudinem brachij sui: quiq. putant in robore exercitus bella consistere: hos superari facit ab hostibus: Dei est & adjuvare, & in fugam convertere; Dei, dare, cui vult: cui vult adimere. Merito postremum hocce, symboli usurpavit loco Gustavus Daniæ Rex: variâ dum viveret, fortunâ jactatus: de hostibus tandem suis triumphans. Acrior inter hos Christiernuserat, Suetiæ Rex, qui cum, ob intentatam tyrannidem ante annos novem concitatam metuens multitudinem, solum vertisset: seque opibus Imperatoris Caroli V. cujus Germanam sororem Isabellam uxorem habebat, sustentasset, vix tandem instructâ classe Liburnicarum navium, ad regnum (jam modo dispertitum) armis repetendum, seriò animum adjecit. Nam ab hujus regis fugâ, Fridericus Holsatiæ Dux, Christierni avus in Daniæ regem fuit adoptatus: Suetiam autē Gustavus Erici Trolle filius (quem Christiernus inter cæteros securi subjecerat) ejectis Danorum præsidis, ope Lubecensium vindicavit. Christiernus igitur, vel obridente fortunâ, vel potius culpam poenâ premente comite, Oceano Germanico navigans, postquam, non perferente tantum scelus pelago, pars navium naufragium fecisset, & in maximâ reliquiarum jacturâ, militum robur amisisset: in mediis aquis relictus, nullo labore ab hoste domestico profligatur, superatur, capitur. Eâdem ferè horâ, quâ ipse à Christierno captus, inque Daniam abductus fuerat. Ludo:

Guicciardinus. Author.

